

### **Jakob & Wilhelm Grimm, *Biancaneve***

*Erant quadam in civitate rex et regina. Quae quodam die, in media hieme, nivibus de caelo decidentibus, ad fenestram aliquam ex ebano factam sedebat et suebat. Cum sueret et nivem conspiceret, acu digitum vulneravit, ex quo aliquae guttae sanguinis effluerunt, et in nivem deciderunt. Cum rubor sanguinis in nive candida pulcher illi videretur, secum mulier cogitavit: "Utinam infans mihi esset, candida quasi nix, ruber ut sanguis, nigra ut ebenus!". Brevi post tempore filiam regina peperit, quae ut sibi ipsa auspiciata erat videbatur; infante parta, illa tamen exanimata est. Paucos post annos, rex ad secundas nuptias transiit. Femina eius pulchra erat, sed superba maxime et arrogans. Omnes alias mulieres fastidiebat et minime ferre poterat quae pulchritudine eam exsuperarent. Speculum mirificum habebat, quod cotidie interrogabat: "Speculum, speculum voluptatis meae, speculum parieti adfixum, dic mihi: quae in regno omnium pulcherrima est?". Cui speculum respondebat: "Toto in regno, tu, regina, pulcherrima es et nulla alia te aequare potest". Quibus verbis multum illa contentabatur. Nam speculum sciebat numquam mentiri posse. Privigna interea pubescebat et venustior in dies fiebat. Cum quindecim annos nata esset, pulchrior quam clarus dies nitebat. Tum regina cum speculum interrogaret ("Speculum, speculum voluptatis meae, speculum parieti adfixum, dic mihi: quae in regno omnium pulcherrima est?"), speculum ei respondit: "Pulchra regina es, et certe pulcherrima cunctarum; sed privigna tua multo pulchrior est...". Invidia et superbia in corde reginae luxuriari coeperunt; nocte et die innumeris curis agitabatur. Venatorem tandem ad se vocavit, quem puellam in silvam abducere iussit, cum formam et iuventutem eius diutius ferre non posset. Cui "Occide eam", inquit, "et cor et iecur eius mihi offer, ex quo intellegi possit re vera te eam interfecisse". Voluntati reginae venator obtemperavit, et puellam in atram silvam secum adduxit...*

(trad. F. Schlosser, rev. M. Gioseffi)